

Q. K. 352, 20.



DEO PROSPERANTE,  
INCLITO SENATU PHILOSOPHICO  
PERMITTENTE,  
IN ALMA PHILYREA  
<sup>DE</sup>  
**ELIGENDO VITÆ  
GENERE,**

D. IV. OCT. M. D C C X.

H. L. Q. C.

DISPUTABUNT

M. CHRISTIAN. JAC. Thryllißch/  
&  
AUGUSTUS Thryllißch/ SS. Theol. Stud.  
Gnansteinio Misnic.

---

L I P S I A E,  
LITERIS BRANDENBURGERIANIS.



S. 15.

PROSPELVNT  
INCINTO SANKT PETEROPHILICO  
SERVATORE  
IN ALIA PHILIPPEA

ELIGENDO VITAE  
GENERE  
AD OCTO MECM  
MDC  
PRESERVANT  
MORTALIA TACITI  
ALLEGANS SPLENDORES TRICONT  
LITERIS FRANDENBURGIVIS.



DE  
ELIGENDO VITÆ GENERE.

PRÆLIMINARIA.

SUMMARIA.

§. I. Argumenti ratio.

§. II. Ejus utilitas.

§. III. Communis neglectus.

§. IV. Illius Ratio.

§. V. Summa dicendorum.

§. I.

**H**omo creaturarum præstantissima, non sibi soli natu-  
rus, sed ea propter præclaris tam corporis quam  
animi dotibus a benignissimo Creatore instructus  
est, ut cum propriæ conservationis studio commu-  
nes quoque utilitates in medium afferre ac mutati-  
one officiorum, ad quæ natura duce ducatur, dan-  
do, accipiendo, tum artibus, tum studiis, devincire hominum in-  
ter homines societatem queat. (a) Quæ enim in terra gigantur, ad  
usum hominum creata, homines autem hominum causa esse generatos,  
ut ipsi se aliisque prodeesse possint, ipsius naturæ humanæ indoles nos  
perspicue docet. Sine sensu enim nascimur, (b) & nisi aliorum ac-  
cedat auxilium, ad maturam nunquam perveniremus ætatem, (c) Si et-  
iam quis proiecta jam ætate, ab omnium ope ac societate in soli-  
tudine relinquatur, miserandum animal morte tandem & interitu æ-  
gritudinis suæ finem facere necesse haberet. Ne ergo miserrimam  
inter omnia creata vitam degere necesse habeat homo, Deus eum ad  
conjunctionem & societatem sui similium aptum redditum, (d) quo &

A

tran-

tranquillius vitam ducere, & aliis adminiculo esse possit. Quapropter etiam unicuique, qui idoneum societatis universæ membrum existere cupit, tempestive de rationibus reliquis inserviendi cogitare in iisque omni studio elaborare convenit, nisi quis injustus humanae societatis desertor audire malit. (e) Cum vero illæ juxta modernam civitatum indolem innumeræ sint, omniumque habitus doctrinam, & diurno exercitio acquirendus; nec singuli propter ingeniorum diversitatem singulis apti reperiantur; nec omnibus, propter connatam generi humano imbecillitatem, unius animi & corporis vires sufficiant; necesse omnino est, ut quis ex multis fariis his inserviendi rationibus, unam vel alteram, ad quam natura eum præ reliquis apertissimum reddidit, sibi deligat, in eamque omne studium ad societatis suæ utilitatem conferat. Ast quoniam hanc electionem seria præcedere debet deliberatio, quæ quidem omnium difficillima, (f) & cum propria communique utilitate conjuncta, nos non frustra operam collocare existimamus, si de hoc prudentiæ articulo quicquam propo- nentes de eligendo vita genere pro facultatibus ingenii differamus.

(a) Cic. L. I. de Offic. n. 22. (b) Cic. Orat. in Catil. III. n. 2. (c) Pufendorff. de Offic. H. & C. L. I. c. 3. §. 3. (d) Pufendorff. de J. N. & G. L. II. cap. 1. §. 8. (e) Cic. L. I. de Off. n. 29. (f) Id. L. I. de Off. n. 117.

### S. II.

Utilissimam sane hanc in vita communi esse doctrinam & vitæ genus ejusque delectionem non leve momentum habere ad felicitatem, Erasmus quoque confirmat. (g) Ea enim probe intellecta homo demum cognoscit, qua ratione officia, ad quæ naturalis lex eum obligat, quam commodissime cum hominibus posse permutare. Examinatis postea tam corporis quam animi viribus, examinata etiam singularorum vitae generum indole, investigata denique vehementiori voluntatis sue ad hoc vel illud propensione, percipit tandem, ad quam vitæ rationem ipsum destinaverit natura. Ea propter nihil aggredietur, ad quod se ineptum sentiet, nihilque unquam invita, quod dicitur, Minerva in se suscipiet; & hac ratione ab idoneis semper, quævis in civitate exequentur. Ille quoque, qui naturali amore in vita genus quoddam ductus est, non Doctoris sui monitis tantum exsatiabitur, sed ad suæ potius artis vel scientiæ augmentum aliquid etiam de suo addet, & honesta gloria cupiditate accensus, in studio naturæ sue

con-

conformi omnes animi corporisque vires pro communi utilitate facilius altiusque explicabit. (b)

(g) in *γεροντολογίᾳ*, (h) *Edmundus Richerius Obstetricie Animorum p. 35.*

### §. III.

Quamvis vero innumeris certe utilitatum numerus hoc prudenter caput comitetur, pasim tamen istud in vita communi cum maximo Rerum publicarum detimento neglectum esse, tristis nos saepedocuit experientia. Quamplurimi enim existimant, omnium ingenia ad varios usus, quamlibetque doctrinam, non aliter ac gladium Delphicum, posse accommodari, & propterea in eunte statim adolescentia, cui inest maxima imbecillitas consilii, cœco quasi impetu, spe lucri, gloriae, aut commoditatis, veletiam ex cruda aliorum persuasione, id sibi genus ætatis degendæ constituunt, quod maxime adamarunt. Alii ex arbitrio parentum, liberorum voluntati saepius contrario, citius ejusmodi genere, cursuque vivendi implicantur, antequam possunt, quod optimum sit, judicare. (i) Et quoniam tunc vel ob deficientes tum animi, tum corporis facultates, vel quoque ob ineptam huic professioni animi dispositionem, eo, quod arripuerunt, studio minime sufficiunt, numerum quidem mortalium adaugent, ad communem vero utilitatem aut parum, aut nihil plane conferunt.

(i) *Cic. L. I. de Off. n. 117. seq.*

### §. IV.

Hujus vero confusionis nulla proximior potest suppeditari ratio, quam verae prudentiae contemptus, & ex eodem descendens perversa juventutis institutio. Non enim, sicut *Franciscus Junius* (k) monet, in omni vita instituto primas pietati, prudentiae alteras, tertiasque eruditioni damus, sed inverso potius ordine procedentes, eruditos nos ante omnia ostentare annitimus, pietatem deinde absque interna animi devotione in opere, ut loquuntur, operato collocamus, prudentiam vero, tanquam inane quoddam studium, communiter proflus negligimus, & licet ipse *Junius* (l) eruditioni hanc quasi prærogativam attribuat, quod viam ad priores duas, prudentiam scilicet & pietatem munit; a sua tamen opinione minime recedit, sed istud tantum indicare videtur, eruditionem corroborare magis in nobis & prudentiam & pietatem, utrique enim

lectione non minus quam meditatione mirificum indies accedit augmentum. Deinde juvenilis ætas ob infirmum adhuc judicii usum, ad hujus vitæ felicitatem suis non potest pertingere viribus. Ea propter Parentibus & Præceptoribus utuntur adolescentes, qui illos manu quasi ducere, & corpus æque ac animam ita formare debent, quo tandem aliquando idonea societatis humanæ membra existant. Parentes in id præprimis intenti, ne nati ab eis unquam victu carere necesse habent, suo se didicisse putant exemplo, quod ea vitæ conditione, quam fato nonnunquam minus prospero amplexi sunt, ipsis de eo sufficienter fuerit prospectum; Officio itaque suo se rite defuncturos existimant, si ad idem quoque vitæ genus filios suos asseveracient. Alii, qui prudentiores videri cupiunt, ad eam vivendi rationem filios adstringunt, quæ propriis animi cupiditatibus, ambitioni nimirum aut avaritiae, interdum etiam superstitioni arrident. Nonnulli Præceptoribus hanc curam unice committunt, qui non raro prudentiae ipsis expertes, utilissimum prudentiae studium adolescentibus instillare prorsus saeppe negligunt. E contrario vero memoriam eorum a prima statim pueritia vanis inanibusque notionibus adimplent, & licet boni quid ut plurimum simul addiscatur, tamen propter confusam docendi rationem vacuas tantum recitare sciunt notiones, sensum vero rarissime percipiunt, perceptum ad vitæ emendationem applicare prorsus ignorant, sibique ipsis saepissime non constant. In Academias postmodum cum insipida hac sapientia delati, Philosophiae quidem studiis operam dare incipiunt, cum vero praxin, non ex Præceptorum quidem, sed suamet ipsorum culpa, semper fere negligant, mentem, quam Logica pariter ac Ethica emendare debet, terminorum, quos solum respiciunt, faragine indies magis magisque confundunt, animi vero propensiones rectius indagare, easque ad finem a natura præfixum dirigere nunquam addiscunt; quemadmodum hac de re Dominus Joachimus Langius (m) prolixè differit. Interea Parenz, vel qui eiusdem vices gerit, sic dictum Philosophiae studiosum graviter monet, ut aliquod studium, de quo aliquando vitam sustentare queat, *Theologiam* & imprimis *Hominiam*, *Jurisprudentiam* maxime *Forensem*, *Medicinam*, illius nempe pruxin aggrediatur. Misera hic mens in trivio quasi titubanter hæsiens quo se vertat nescit. Illi, cum quibus hac de re conferunt, quique etiam

etiam Praeceptores videri cupiunt, eis interdum suadent, ut disciplinæ, quam ipsi profitentur, fese dedant, & collegia ab illis forte instituenda sedulo frequentent. Sic adolescentes, qui ultra Parentum & Praeceptorum monita sapere non didicerunt, cœca in Patres obedientia, aut frigido Doctorum consilio capti, studio cuidam quidem operam dant, sed sero nimis intelligunt, melius ipsis consultum esse, si opportunò tempore mentem ad aliud quid appellere possint; raro autem ipsis singularis hæc contingere solet felicitas, ut ex inamœna, quam inviti ambularent, via recedere, & jucundiorem, in quam naturæ feruntur instin-  
stu, eligere illis liceat.

(k) *Paranœsi ad Comitem Oxoniensem* C. s. (l) *ib.* (m) *in Medic. mentis. P. I. Cap. III.*

## S. V.

Cum itaque, quid circa electionem vitæ generis communiter negligatur, quodammodo fuerit ostensum, instituti nunc ratio exigit, ut de eo etiam, quod in eligenda certa vivendi ratione unusquisque juxta prudentiæ regulas observare debeat, pro viribus differamus. Methodo quidem alias in Thematis practicis consuetæ insistentes, de *Subjecto*, *Fine* & *Mediis* agere primoque hominem, qui se ad aliquod vitæ genus determinare solet, considerare, deinde genera vitæ in universum perpendere & tandem modum in tali eligendo sequendum examinare possemus. Cum vero Subjecti consideratio universæ doctrinæ morali communis, ex eaque præsupponatur, præterea etiam, ubi de electione agetur, simul attingi commode posit; brevitatis studio commoti totam hanc dissertationem duobus capitibus absolvemus, & in primo quidem *de omnibus vita generibus generatim agemus*, in se-  
cundo autem *de cuiusdam electione*, quaque ratione hac suscipienda sit, differemus.

## C A P. I.

## De vitæ generibus in genere.

## SUMMARIA.

§. I. *Definitio vitæ generis.*

§. III. *Scientiis & artibus ad vitæ ge-*

§. II. *Definitionis expl. eatio.*

*nera adaptantur.*

A. 3.

§. IV.

- 
- §. IV. Earum auctor & principium  
Deus.
- §. V. Numjam in statu integrata-  
tis extiterint.
- §. VI. Earum post lapsum ini-  
tiuum.
- §. VII. Simplex admodum tam ar-  
tium,
- §. VIII. Quam scientiarum.
- §. IX. Harum occasione orta sunt  
vivendi genera, primum inter  
se confusa.
- §. X. Distincta vero introductio  
statu civili.
- §. XI. Variata ab his magis per pra-  
supponit enim innovat
- §. XII. Vitæ generum Divisio diffi-  
cils.
- §. XIII. Summa divisio hæc, quod ali-  
a religionis curam, alia status ci-  
vilis conservationem respiciant.
- §. XIV. Religionis cura quatenus  
non potest vitæ genus dici.
- §. XV. Quatenus ita potest dici.
- §. XVI. Quenam vitæ genera sta-  
tus civilis conservatio sub se com-  
prehendat.
- §. XVII. Conclusio hujus Capitis.

## §. I.

Iste status, in quo suo studio & labore unusquisque quicquam ad communem afferre debet utilitatem, a Cicerone, ex antiquis o-  
mnibus optime (a) hoc Caput explicante, vivendi ratio, (b) rite  
ratio & institutio (c) vocatur, nobisque consentiente eodem Oratorum  
Principe (d) vitæ genus audit, & non inepte conditionis, status, aut  
instituti cuiusdam nomine venire potest. Ast, cum titulus, quem  
dissertationis nostræ rubrum indicat, ita singulis pateat, ut ex eo totius  
tractationis argumentum, facile & absque ulteriori explicatione percipi  
queat, circa illius operosam interpretationem diutius non hærebimus,  
sed sine dicendi ambagibus realem Thematis nostri considerationem ag-  
grediemur, & quia ex mente Ciceronis (e) omnis qua oratione suscipi-  
tur de aliqua re institutio, a Definitione proficiuntur, quo intelligatur,  
quid sit, de quo disputetur, nos quoque breviter dicemus, quid per  
vitæ genus hoc loco intelligamus. Est itaque nobis vitæ genus status  
hominis adventarius, in quo homo corporis & mentis sua facultates prævia  
doctrina & exercitio rite dispositas ita exerit, ut sui ipsius & reliquorum sa-  
luti, utilitati & commoditatì, quoad legitime ipsi licet, in certo actio-  
num genere prodesse possit.

(a)

[a] L. I. de Offic. (b) L. IV. ad Heren. n. 125. (c) Lib. II. de Offic. n. 39.  
 (d) Lib. I. de Offic. pasim. (e) Lib. I. Offic. n. 5.

## §. II.

Statum esse diximus vitæ genus, quoniam homo in certo vivendi genere constitutus, in spatio quodam morali, legibus qua si undique circumsepto versati incipit, & quidem adventitium, naturæ enim decreto nunquam quis in aliquo eorum existit, sed vel proprio, vel aliorum facto, in hunc vel istum necessitate vel utilitate sic suadente constituitur. Homo deinde, sicut omnibus constat, corporali & spirituali quadam substantia præditus, quarum utraque suis instructa facultatibus, quæ propter singulis nunc connatam labem adeo ineptæ redditæ, ut, si nulla præceptione emendentur, numquam societati humanae satis prodesse possint. Propterea porro dicimus, sincera doctrina, assida diligentia, & crebro exercitio debere eas demum ad communitatis usum disponi. Ultima descriptio nis nostræ verba de fine tradunt, quem unumquemque, qui se ad vitæ genus quoddam determinare vult, intendere oportet, & est tam sui ipsius conservatio, quam aliis in certo negotiorum genere inser viendi promptitudo, quæ tamen rite semper, h. e. observata subin de universaliæ ac particulari lege fieri debent.

## §. III.

Illud, cuius auxilio ad omne vitæ genus, quodcumque etiam illud sit, adaptamur, scientiam aut artem nominari, in propatulo est. In aliorum enim interdum commodum quid, mediante mentis acie componitur, vel quidam ad vitam piam & civilem, Philosophiam veliam quandam doctrinam erudiuntur, consilia sciscitantibus sup peditantur, regna & provinciæ prudenti consilio gubernantur, lites inter partes dissidentes sententia legibus conformi deciduntur, ad quæ & alia quamplurima, scientiæ aut disciplinæ præceptis, homines sedulo præparari debent. Alii deinde agriculturæ & pecuariæ student, opificia varia excent, aut alio modo manuum suarum opera licet omni intellectus usu non destituti esse debeant, communitatæ civium inserviunt, quæ omnia communi artis nomine appellare nobis placuit.

## §. IV.

Artes vero & scientiæ, cum in solo homine rationis & cogita

tionis partice reperiantur, hic vero tam p̄æclara conditione ab altissimo Numine generatus sit, non Mercurium, sicut Gallia antiqui incole [f] crediderunt, sed Deum primum omnium scientiarum & artium principium esse sciendum est, ita tamen, ut penes hominem libertas, sic vel aliter eas ad usum suum accommodandi sit residua. Cum enim omne illud, quod in hoc mundo deprehendimus existere, & propterea rationales quoque creaturæ effectus sint omnipotentiae divinæ, illisque tantata p̄æ reliquis rebus creatis luminis naturalis vis relieta, ut artibus, doctrina, moribusque se invicem exornare possint, necesse omnino est, ut eximiae hæ qualitates a benignissimo Creatore, cœu causa hominum efficiente, huic effectui suo communicatae sint. Deinde summum Numen hominis creatione hunc quoque finem, perennem scilicet iustius generis conservationem, intendit, quæ non nisi mutuis officiis, tum artibus, tum opera, tum facultatibus fieri potuit, qvapropter etiam hujusmodi mediorum rationem & indolem homines docere debuit. Et recte quidem hac in re sentit Theophrastus Paracelsus dicens: (g) Omnes artes super terra divina sunt, ex Deo, nec ex illo alio principio, nec non: (h) Terram qvifecit, is solus etiam docendi vim habet, nec p̄terea quisquam aliis, doctrina ergo omne Principium a Deo est. In eoqve cum Scriptura sacra, ex qua vel solus Hiobus adduci sufficiat, consentit, qvi etiam docet: (i) Deum tantum viam sapientie & locum, ubi illa reperiatur, intelligere.

(f) Jul. Cæs. de Bell. Gall. Lib. VI. Cap. XVII. n. v. [g] Vol. I. op. p. 669. &

217. (h) Vol. II. p. 429, (i) Cap. XXVIII. 23.

אֲרוֹנָה בְּנֵי יִשְׂרָאֵל מִקְדָּשׁ  
דָּרֶכְתָּךְ וְחַיָּתְךָ יְהֻעָה אֱתָה — §. V.

Primævam naturæ humanæ conditionem plane diversam a p̄fenti, longeque perfectiorem fuisse, ex revelationis verbo demonstrari potest. Quoniam vero nunc misera universæ mortalitati adhæret calamitas, insignibusque artes & scientiæ, quoad hac nostra ætate florere solent, laborant defectibus facile colligi potest, earum initium non ab integritatis statu esse repetendum. Quo tamen istud non simul concedimus, quod, si homines in summo hoc perfectionis statu constanter perseverassent, plane nullæ extiterint neque artes neque scientiæ. (k) Quia enim tunc homo, auræ divinæ particula, integrum.

tegroque rationis lumine nobilitatus erat, nullum est dubium, quin ipsi a Deo, artium & scientiarum fonte, omnis quoque sapientiae thesaurus communicatus fuerit. Creaturam vero adeo illuminatam otiosam & a quovis labore vacuam fingere, idem est, ac soli splendorem denegare. Certum itaque imo certissimum: In integratis statu, si in eo Protoplasti persistissent, homines non tantum scientias calluisse, sed laborem quoque, absque omni tamen sudore & molestia, sustinuisse. Hoc comprobat ipse Moses (l) dicendo: *Deum hominem in hortum collocasse רַעֲבָרָה וְרַשְׁמָרָה ad eum colendum & custodiendum*, quod utique non nisi opera quadam peragi potuit. Omnes vero unum idemque praestitisse propter summam libertatem, qua & eo tempore gavisi essent, arbitrii, diversitatem rerum creatarum, varietatemque negotiorum, circa eas existentium, vix concipi potest. Probabile ergo videtur, homines in perfectionis statu varias & artes & scientias coluisse, quarum quidem indolem & rationem declarare non audemus, cum de qualitate perfectissimi illius status, nihil distincti & positivi, praeter illud, quod expressis verbis in sacris literis continetur, nobis concipere valeamus.

(k) Georg. Pascha de Invent. nov. antiqu. Cap. I. §. 3. Theol. Paradi-  
siaca capitula recenset. (l) Gen. II, 13.

Postquam vero ex peccato Protoplitorum communis invaluit calamitas, homo se sua facultate neque sustentare, neque vitam & mores ad societatis utilitatem componere, neque rebus in mundo existentibus absque insigni opere, duroque labore uti potuit. Quo factum est, ut mortales, ne humanum genus interiret, aut absque ullo rationis usu viveret, de scientiis & artibus, quibus miseria hæc sublevetur, successu temporis cogitaverint.

§. VII. 1. in origine præceptibus. hoc

Artes quidem quoad inventionem scientiis priores, quia magis ad vitam illæ sunt necessariae, quam hæc, perfectionem vero suam pleræque artes scientiis debent, quapropter etiam earum filiæ a Pascha (m) hæc vocantur verbis: *Sunt proinde ha filiæ (artes) natae quidem ante matres, (scientias) sed educari recte & ferre etatem sine matribus non potuerunt.* Simplicissimum enim omnes artes sortitæ sunt initium,

& antiquissimi hominum pro simplicitate priorum temporum, in quibus gloriæ cupiditas non adeo late patescens, & divitiarum modicus usus, in vitæ ex victu, quo non carere poterant, conservatione, omnem posuerunt vivendi rationem, quem, cum terram & pecudes ad famem sufficienter explendam suppeditare intelligenter, agriculturam remque pecuariam singuli exercuerunt. Ipse etiam *Adamus* statim Paradiso expulsus, secundum Dei præscriptum (n) terram coluit, sibique בְּעֵצֶב cum dolore sive molestia victimum ex ea parandum curavit, & filiorum suorum unum rem pecuariam, alterum vero agriculturam exercuisse legimus. (o) Licet ergo *Cæsar* (p) de Germanis referat, eos *suo tempore agricultura non studuisse, sed majorem partem victimus eorum latte, caseo & carne constituisse*; Licet etiam *Athenienses* rei agrariæ laudentur (q) autores, *quodque arare & serere frumenta glandem vescientibus demonstraverint*; ex eo tamen hoc minus evincitur, agriculturam tamdiu fuisse ignotam. Præter scripturam enim, quæ contrarium testatur, Germanorum exemplum hoc tantum perhibet testimonium, Agriculturam ex ea ratione status, ne sic a bellandi cupiditate abstraherentur, neglectam, non vero penitus ignotam fuisse. *Athenienses*, quod attinet, eis non omnem derogabimus inventionis gloriam, quatenus scilicet eam diu sepultam, iterum resuscitaverunt. Post victimus acquisitio- nem, & vestes quæ siverunt homines, quibus frigoris vim depellere & verècunde corpus obvelare queant. Cum vero illæ omni vi aëris resistere minus valerent, *recta*, quibus se a cœli injuriis tuerentur, invenerunt, (r) & ex fronde prius *recta* fecerunt, alii speluncas sub montibus foderunt, nonnulli hirundinum nidos imitantes, e luto & virgulis condiderunt loca, quæ subirent, donec ingenium hominum sua quoque *Architectura* dederit incrementa. Exile ejusmodi initium omnibus fere fuit artibus, sic omnes successive enatae, & tractu tem- poris, celeritateque ingenii, suum adeptæ sunt complementum. (s)

(m) *de invent. nov. antiq. Cap. I. n. 3.* (n) *Gen. III, 17.* (o) *Gen. IV, 2.* (p) *de Bello Gall. Lib. VI. Cap. 22.* (q) *Justinus Lib. II. Cap. 6. Cic. Orat. pro Flacc. n. 62.* (r) *Polidorus Virgilinus de rerum invent. Lib. III. Cap. VII* (s) *Theophr. Paracel- sus, Vol. II. p. 428. & 429.*

## §. VIII.

Scientiae cum artibus istud quidem commune habent, quod itidem rudes incultæque primum apparuerint, & viva tantum voce aliis sparsim & confuse communicatae fuerint; postea vero judicij acumine ita elimatae, ut scriptis comprehensæ in disciplinas tandem excreverint. Originem vero non sicut artes ex necessitate traxerunt, sed partim ex objectorum in sensus undique incurrentium varietate, maiestate & ordine, partim ex descensu hominis in seipsum, sive consideratione sui ipsius, tam quoad corpus, quam quoad mentem. Res illius conspectui undiquaque occurrentes, admirationem excitabant & insignem sciendi appetitum, quæ & qualis singularum sit causa, & natura; In se ipso deprehendit corpus, variis nonnunquam morborum generibus affectum. Sollicitus ergo fuit, quo contra illa salutarem & gro corpori afferret medelam, quoad mentem huc cura potissimum rediit, ut rite ad vitam formaretur socialem, & quilibet vero, honesti & justi, imbueretur sensu & amore. Quoniam vero a variis varie violabatur Lex naturæ, nec omnia ibidem expressa, quæ societatum, in quas homines abierant, commodum respiciebant, leges sanctione poenali munitæ latæ sunt, cum autem illæ in quibusdam ambiguæ essent, ab eorum peritis interpretatio petebatur. Hæc Philosophia naturalis & civilis, hæc Medicina & Juris prudentia fuere initia, & sic omnes inventæ sunt scientiae. Qui deinde primis autoribus proximi, eorum inventa insigni acceperunt voluptate, & laudis gloria incitati, ulterius scientiarum aditus scrutati sunt, & si omnes bonitate ingenii prædicti veritatis amore, non contradicendi libidine ad speculandum compulsi fuissent, Philosophia & omnium scientiarum fines longe lateque fuissent promotæ.

## §. IX.

Harum vero artium & scientiarum occasione factum est, ut homines se in certa vivendi genera distingverent, & unus in una vel altera earum, quia singuli singulis colendis minime sufficiebant, omnes ætatis suæ tempus consumeret. Sed quemadmodum simplex & rude omnium rerum fuit principium; ita etiam vitæ rationes, cum primum instituerentur, informes maxime & confusæ inter se fuerunt. Homines enim prima hac temporum simplicitate in familias tantum distincti, & hinc & illinc cum servis & pecudibus commeantes omnia, quæcun-

que ad vivendum fuerunt necessaria, ipsi sibi pararunt, *ut pastum & latibula, & alia ejusdem generis*, non expectato quodam, qui huic sollemmodo operam dans, operis illius perficiendi causa accerteretur. Commeriorum quoque, dum in certo non commorabantur loco, lucrative cupiditate non adeo incensi erant, exiguis fuit usus, resque omnes difficulter potuerunt permutari; disciplinæ tum temporis admodum rudes, ipsarumque fines nondum ita declarati, ut distinctis inter se limitibus apparuerint. In *Civitatibus* postea constitutis omnes quidem earum necessariae conservationi intenti, nihilominus tamen officia adhuc inter se confuderunt, ingruente enim vi externa, ad eam propulsandam omnes, quibus natura robur non denegaverat, concurrebant, curam domesticam interea, quod apud *Germanos* pacis quoq; tempore obtinuit, (t) mulieribus forsitan relinquentes; Civilem vero Juris dictionem nonnulli commiserant sacerdotibus, sicut *Galli Druidis* (u) aut *Philosophis*, quod ex divisione *Philosophie Cleantis in Dialecticam, Oratoriam, Moralem, Civilem, Naturalem & Theologicam*, cuius *Pascha* (v) mentionem facit, aliquo modo colligere licet, reliquis rebus, quibus unusquisque indiguit, ipsi manum admoverunt. Ex eo etiam, quod *Cancellarii munus*, per *Galliam, Germaniam, Austrasiam Italianaque penes tres Germanie Archipräfules, Moguntinum, Trevirensim & Colonensem* sit, videtur, non adeo priscis temporibus facerdotii & judicis munus in *Imperio Romano*. *Teutonico* confusa inter se fuisse, eumque simul jus dixisse, qui Verbi Divini tenorem populum docere debuerit, (x) ex ea forsitan ratione, quia irruente communi barbarie, omne, quicquid studiorum superstes fuit, Clerici Monasteriis vindicarunt, gladii gloriam *Nobilibus aut Politicis* committentes.

(t) *Tacit. de Mor. Germ. C. XV.* (u) *Jul. Cæs. de Bell. Gall. Lib.*

*VII. Cap. XIII.* (v) *Cit. Loc. Cap. II. n. 4.* (x) *Illusfr. Dr.*

*Coccejus Jur. Publ. Prud. 211.*

### §. X.

Postquam legibus, ut cives singuli in justo retinerentur ordine, deinceps civitates muniebantur, *statusque civilis* sua hinc nanciscebatur incrementa, successu temporis magis magisque aucta sunt vivendi genera, & inter se distincta. Cum enim non omnes voluntatem suam prompte juxta praescriptam legem componerent, *quibusdam prudenteria*

*dentia & virtute conspicuis, vel uni etiam tantum una cum cura, ne quid detrimenti civitas capiat, commissa est tam facultas examinandi actiones reliquorum, in quo cum prædicta norma convenient, aut ab illa discrepent, quam autoritas acriter in desperitos & profligatos ci-  
vies juxta facti circumstantias animadvertisendi, ex quo in civitate ge-  
nus imperantium & subditorum ortum. Qui publicis sic districti ne-  
gotiis, curamque totius civitatis agebant, illis, quæ administrationem  
familiae & reliqua vitæ commoda necessariaque sustentacula concer-  
nebant, manum ipsi admoveare non potuerunt. His ut itaque suc-  
curratur, varia opificiorum genera, quæ illiberalia postmodum dicta, ab  
aliis excogitata sunt. Interdum contra injustam aliorum invasionem  
se civitas tueri, & bellum contra communis tranquillitatis hostem  
decernere necesse habuit, ad quod gerendum antiquitus omnes cives  
ætatis robore adhuc valentes concurrerunt, certis vero svadentibus  
causis, ne scilicet a publicis & domesticis curis abstraherentur cives,  
conscriptus vel lectus est miles, sicutque *arma alii tractarunt, ali i pacis obierunt negotia.* Interea multi, qui de suo aliquid ad civitatis uni-  
versæ commoda & singulorum civium utilitatem conferebant, libe-  
ros ad Dei cultum patriæque emolumentum erudire non potuerunt,  
quare inventi sunt, qui eorum institutionem in se suscepserunt, ex quo  
*scholarum origo* derivatur. His abunde nos ostendisse putamus, quod  
introductio statu civili, vivendi quoque genera divisa fuerint, & in-  
tracta.*

## §. XI.

Homines in magnas societas, quæ civitatum nomine veniunt,  
congressi, quamdiu contenti fuerunt cum eis, quæ terra, in quam  
natura ipsos reposuerat, protulit, vivendi genera se non adeo mul-  
tiplicarunt. Qvo magis vero *carnis fæc concupiscentiis* paruere cives,  
tanto plures excogitatæ sunt vitæ rationes, qvibus quidem hodie com-  
muni omnium consensu nihil ineft inhonefti, interim tamen vel pri-  
mam originem suam a perversis derivant inclinationibus, vel cupi-  
ditatibus aliorum alimenta subminiftrant. Sic homines non amplius  
cum eo, qvod Patriæ solum producebat, contenti, varia ciborum,  
potuum & aromatum genera, multoqve plura, qvibus sensus ob-  
lectare poterant, ex peregrinis apportarunt, & qvo magis genio in-  
dulge.

dulgeretur, excogitati sunt coqui, fartores, cupedinari, unguentari, saltatores cum omni gesticulatorum grege, quas artes omnes, prout vulgo exercentur, cum Cicerone (*y*) voluptatum ministras dicimus. *Ambitio* & *superbia* varios introduxit honorum gradus, quos aliquis interdum citra merita attingere, & caput praे aliis effere potest. Hi ut magnificentiores apparerent eis, qui adhuc in infimis repunt, excogitarunt varii varia, quæ ad comptum nitoremque faciunt, & capita gemmis aliisque rebus ornarunt, vestimenta auro argentoque aut diversis interdum distinxerunt coloribus, vehicula varie cœlata pararunt. Postquam *aurum* *argentumque* in tali haberi pretio ceperunt, ut ceteris rebus æqvivalerent, hominesque animadverterent, cum, qui pecunia abundaret, omnes sibi devincire, juga montium metalli fossores scrutati sunt, aurumque & argentum ex intimis terræ visceribus eruerunt, alii formam tractationis & custodia habilem ei induxerunt, alii cum maximo vitæ discrimine velorum naviumque auxilio maria transvolaverunt, ut in remotissimis terris merces colligerent, quas cum immenso lucro domi distribuere possent. Alii de vita cum aliis decertare non verebantur, modo lucrum exinde captarent. Et quoniam adhuc in civitatibus homines magis animi sui passionibus, quam rationis sanæ dictamini morem gerere solent, non mirum, quod nostra quoque ætate vite quædam instituta excogitarint homines, quæ majoribus nostris incognita fuere.

(*y*) *Cic. Offic. Lib. I. n. 150.*

### §. XII.

In tanta vero vitæ generum varietate difficultissimum est accuratam invenire eorum divisionem, ita ut sub illius membris singulæ vendi rationes comprehendantur. Nam cum juxta locorum diversitatem diversa quoque hinc inde reperiatur vitæ instituta, quæ nobis aliunde degentibus plane incognita sint, impossibile est, ea cum his, quæ nobis obvia, animo ita repræsentare, ut totum aliquod universale constituant. Et si etiam earum saltem vitæ conditionum, quæ nobis usitatæ sunt, divisioni inhærere velimus, paucissimi tamen præter suæ professionis indolem non sapiunt, & proinde discrepantiam & convenientiam ceterorum vitæ generum inter se non declarare, nec justas, quibus includantur, classes instituere valent. Nos, cum

cum instituti ratio id a nobis exigat, divisionem aliquam vitae generum a fine Rerum publicarum ex parte deductam suppeditabimus, quæ si Benevolo Lectori ex omni parte non absoluta videatur, ea, qva decet, humanitate ab eo contendimus, velit accuratiorem nobis comunicare.

## §. XIII.

Homo tam *spirituali*, quam *corporali substantia* se præditum esse sentit; illam immaterialiter ex divino afflatu ipsi concessam, post que fata duraturam, & propterea notitia quadam Dei imbuendam esse postmodum edocetur, hanc debilem admodum, infirmam & absque alimentis ceterisque sustentaculis certe peritram intelligit, quapropter, ut ad labores quosdam eam aspergat, summa urgetur indigentia. Utramque vero post lapsum ita rudem & ineptam deprehendit, ut *anima*, si sibi velut relinqatur, de Deo & divino cultu, de obligatione erga societatem, de æternitatis præmiis non satis constet, *corpus* vero membra nec ad labores debite componere, nec seipsum commode, sovare & alere sciatur. Aliorum itaque doctrina & præceptio ne opus est, & quanquam haec cura naturaliter neminem proprius tangit, quam parentes circa liberos, ex dispositione tamen hodierna civitatum pauci suos ad debitum Deo cultum præstandum instituere, & ad emolumen tum Patriæ componere, vel ea, quibus ad curam corporis egeni indigent, sua sibi parare possunt opera. Officia ergo ita inter se necessitate & utilitate sic jubente, divisorunt, ut singuli in aliqua saltu re, cui se aptissimos sentiunt, ad communictatis suæ usum potissimum elaborent, & propterea quidam animarum, quidam vero corporum in se curam suscepereunt. Quapropter, si primam, suministramque omnium vitae generum divisionem constituere velimus, duobus illam membris absolvemus, quorum primum *Religionis curam*, alterum vero *status civilis conservationem* sibi vindicare posse arbitramur.

## §. XIV.

Non tamen in eo sensu *Religionis curam* peculiare aliquod vita genus esse existimamus, ac si quis plane eam, sicut in reliquis vita generibus, abdicare, omnemque animæ curam in aliud transferre queat. Id enim officium cuilibet inhæret, ut Deo cultum in Religionis exercitio consistentem exhibeat, quem, si sacrorum plane incu-

incuriosus neglexerit, solus ad reddendam Deo rationem, eo nomine tenebitur, illo, cui hanc curam unice delegatam credidit, immuni. (z) Nam commoditatis & utilitatis temporariæ, non Religio-nis vacandæ causa homines in certas coiverunt societates, cum in interna mentis cum Deo unione consistat Religio, & a paucis, imo & eo, qui in solitudine vitam dedit, æque commode, & interdum majori cum fructu, ac in amplissimo cœtu expediri possit. Licet de eo nulli dubitemus, quin Religio firmissimum status civilis fulcrum sit, nec ulla re & subditorum & Magistratum mentes promptius deliniri queant, ut suo singuli satisfacient muneri, quam si ad summi Numinis cultum proclives reddantur. Ast in eo peccant *Pseudo-Politici*, qui omnem de divino cultu opinionem plebis causa a sapientibus fictam esse opinantur, ut, quos ratio & leges non possent, eos ad officium, religio & Dei timor ducerent. Hi etiam a *Cicerone* (a) gentili homine refutantur, quod eam foventes sententiam, omnem Religionem funditus tollant. Qyoniam itaque non propter Religionem Civitates institutæ sunt, illud affirmare non audemus, in prima statim origine earum, *sacerdotium* peculiare aliquod vivendi genus fuisse. Sicut enim ante hanc foundationem sacerdotis & doctoris officium originarie cum parentum & patrum familias munere conjunctum fuit, quod patriarcharum exemplo in sacro codice edocemur, qui circumcisionem & sacrificia ex Dei mandato ipsi administraverunt: Ita vix etiam credibile est, civitatibus institutis, libertati naturali patres-familias ita se abdicasse, ut juxta superiorum arbitrium una cum liberis & familia Deum amare & vereri sustinuerint, (b) cum religio a longe eminentiori principio, quam civile imperium, oriatur.

(z) *Pufend. de Hab. Rel. ad Vit. Civ.* §. 2. (a) *Lib. I. de Nat. Deor.*

n. 119. (b) *Pufend. cit. loc. §. 6.*

### §. XV.

Qyoniam tamen Religio, in sano sensu accepta, fundamen-tum est probitatis morum & virtutum, vinculumque inter Imperantes & cives firmissimum constituit, maxima summorum Imperantium debet esse cura ut singuli cives non tanrum deo recte sentiant, sed etiam interna mentis devotione, & externis quibusdam piis ritibus e-um colant. Hoc ut eo ardenter studio perficiatur, certæ personæ vir-tu-

tute, pietate, autoritate & prudentia conspicuae sunt constitutæ, qui teneriores ad verum Numinis cultum instituerent, ceremonias Ecclesiasticas administrarent, majoribusque natu voluntatem Dei, & si declinent a iusto, iram ipsius atrocissimam annuncient. Et cum nulla gens adeo effrenata sit, ut omnem prorsus deitatem respuat; ita istud, qvod in Dei vicem elegit, certis quoque ceremoniis colendum dicit, quo factum est, ut apud barbaras & cultiores gentes distinctum a reliquis munericibus sacerdotium esse videamus, & gentiles quidem religionis curam tanquam rem divinam, nulli nisi divino & sancto demandari posse credunt, ac sacerdotibus interdum reverentiam idolo non multo inferiorem exhibere solent. (c) Nos vero Christiani a majoribus acceperimus, (d) quod duplex hominum genus habeamus, unum, qvod *Lectorum* nomine censetur, qvibus soboli procreandæ ac imperio administrando fas est operam dare, alterum *sacerdotum* quod præcipue precibus faciendis & Religioni rite procurandæ vacat. Post Reformationem inter *Protestantes* hoc ab omnibus, qui sobrie de rebus divinis sentiunt, retinetur, & ad cultus sacri expeditionem certæ personæ, qvæ se a juventute ad hoc munus præpararunt, adhibentur.

(c) de Braminis *Malabarorum sacerdotibus testantur hoc Relat. Hallens.*  
hujus Anni n. XXIX. p. 115. (d) Polydor. *Virgil. de Invent. Rerum Lib. IV. Cap. V.*

## §. XVI.

Explicato nunc primo divisionis nostræ membro, dicendum adhuc restat, de iis vitæ generibus, quæ ad status civilis faciunt conservationem. *Statum civilem* fundamenti loco substituimus, quoniam supra ostensum est, eodem introducto distinctas vivendi rationes inter cives vigere coepisse, & quoniam unaquæque civitas tanquam necessaria conservationis suæ adminicula singulorum *sustentationem & institutionem*, totiusque Reipublicæ *gubernationem & defensionem* requirit, ad hæc quatuor capita reliqua vitæ genera revocabimus. *Sustentatio* una cum alimentorum subministracione, omnia officia, quæ ad corporis humani curam tendunt, sub se comprehendit, & hac ratione huc pertinent, *res agraria & pastoritia*, ut & opificia, quæ arte sua corpus tegunt, aut fovent, nec non *Medicina & Chirurgia*, quibus amissa sanitas ægro corpori restitui debet. *Institutione* erudiuntur teneriores animi, in o-

C

mni-

mniibus scientiarum & artium generibus, quorum adminicculo tandem aliquando, quantum in ipsis situm est, opem & salutem Patriæ ferre possint. Hujus rei causa fundatae sunt *Academie, Gymnasia, Schole alia- g, Collegia*, in quibus juvenes tam in scientiis & artibus nobilioribus, quam in exercitiis, quibus corpus agilius redditur, erudiuntur. *Guberna- tio Principi* aut *Magistratibus* tam independentibus, quam delegatis competit, quorsum omnia munera, sine quibus officio suo non rite & decore fungi possunt, referimus; & cum Princeps in Civitate splen- dore inter reliquos eminere debeat, ornatus causa varia in aulis introdu- eta sunt officia, quæ præter istud, quod Principis personam cum pompa comitentur, parum præstant. *Defensionem* iis tantum tribuimus, qui de patriæ & civium salute cum hoste communi decertant, & sagati mil- ites audiunt. *Justinianus* quidem *Imperator*, (e) his qui privatorum spem vitam ac bona in foro defendunt, & communi *Advocatorum* no- mine veniunt, militibus etiam æqui paravit, sed illi melius ad gubernati- onem Reipublicæ, cum justitiæ ministri sint, referri posse videntur.

(e) l. I. Cod. de *Advoc.* divers. *Judic.* §. 17.

#### §. XVII.

Ad hæc pleraque vitæ genera referri posse existimamus, quod exemplis, cum istud per se pateat, declarare supersedemus. Nunc ea quoque in *justa* & *injusta*, in *honesta* & *turpia*, in *utilia* & *supervacanea*, dispescere possumus; sed quoniam unum idemque, quid ipsi in Repu- blica liceat, nōste decet, ea vero, quæ lædunt pietatem, existimatio- nem, verecundiam & contra bonos mores sunt, nec posse nos facere credere debemus; (f) Utilitatis tandem ratio, sic cognita & perspecta est hominibus, ut ex utilitate quævis metiantur, plura de vitæ generum di- visione, ne Benevoli Lectoris patientia abutamur, non differimus, sed ad secundum dissertationis nostræ caput progedimur.

(f) l. 15. ff. de *Condit. Justit.*

## C A P. II. De electione vitæ generis.

### S U M M A R I A.

§. I. Quid sit electio vitæ generis. §. II. An ad eligendum vitæ genus omnes obligati.

#### §. III.

- §. III. Qui vitæ genus imprimis eli-  
gere debeant.  
 §. IV. Qua etate hæc electio suscipi-  
enda.  
 §. V. Parentum circa hanc officium,  
 §. VI. & potestas.  
 §. VII. An vitæ genus mutare licet?  
 §. VIII. Quid in genere de electione  
vitæ generis notandum?  
 §. IX. De Dispositione corporis,
- §. X. & animi.  
 §. XI. De voluntatis inclinatione.  
 §. XII. De opibus & externis emer-  
gendi mediis.  
 §. XIII. Quomodo consultatio hæc per-  
agenda.  
 §. XIV. Beneplacitum asidue con-  
stanterque sequendum.  
 §. XV. Conclusio.

## §. I.

**P**er electionem vitæ generis nihil aliud intelligimus, quam acti-  
onem moralem hominis intellectus imbecillitate aut alia quadam  
nativitatis lege non impediti, qua ille, examinatis prius animi cor-  
poris & fortunæ facultatibus, ad aliquam artem, scientiam aut Profes-  
sionem, inclinationi sua maxime convenientem, se determinat: Actionem vitæ  
generis electionem dicimus, quia hæc motus a facultate quadam pro-  
cedens est, & quidem moralem, ratio enim eum producit & dirigit, ho-  
minis, hic enim solus ratione prædictus est, & ea plenarie etiam uti de-  
bet, qui hanc electionem suscipere cupit.

## §. II.

Verum non omnes, qui vivunt in civitatibus, aliquod vitæ insti-  
tutum sibi eligere, in præcedenti paragrapho ostensum est. Quidam  
enim, qui per ætatem, vel alium casum, rationis non sunt participes, quo-  
se convertant, definire non intelligunt: ut *infantes* & *impuberis*, nec non  
*furiosi* & *mente capti*. Quibusdam generis sui conditione hæc liber-  
tas præcisa quasi videtur; postquam enim nunc in plerisque civitatibus  
sumnum imperium per successionem ad proximos sanguine devolvi-  
tur, illi, qui nativitatis beneficio in hoc honoris & gloriæ fastigium col-  
locati sunt, de alia vivendiratione, quam, *ut cives prudenti consilio rege-*  
*re, & regnum vel provinciam fortiter defendere valent, cogitare necessi-*  
*non habent Appanagiati etiam, sicut omnes dicuntur, quibus succeden-*  
*di spes est, illustrem dignitatem cum nativitate ipsis communicatam re-*  
*tinent, & propterea non nisi bellico aut ali cuidam excelso muneri præfi-*  
*ci volunt. Et ex simili forsan ratione omnes, qui generosa stirpe descen-*  
*dunt,*

dunt, citra dignitatis suæ maculam nullam vivendi rationem, præter prædii sui curam, aut militare vel aulicum munus amplectuntur. Fæmelle tandem domi se continere, & inter cives Magistratu, nisi sanguinis magis quam sexus ratio habenda, fungi non discunt. (a) & quoniam hac ratio ne ad nullum vivendi genus se determinare necesse habent, pleræque ex inani & supervacanea persuasione per istromata potius & aulea belluata artificiose contexere & ostentare, quam aliis artibus & scientiis operam dare solent. (b)

[a] Thom, Schmitth. descript. Angl. p. 136, [b] Edmund, Richer. Observatr. Anim. p. 47.

### §. III.

Reliqui omnes, cujuscunque conditionis sint, modo in civitate vivant, in quodam vivendi instituto aliquid studii vel operæ in communis utilitatem suscipere tenentur, nisi vitæ societatem deserere, & capropter *injusti* pronunciari malint. [c] Cognatio enim & necessitudo quædam intercedit inter homines, unde communis hæc & perpetua descendit obligatio, ut quilibet, cum alterius opera ipse indigeat, illius quoque utilitatem, quantum commode posit, promoveat. Et neuti quam sufficit, in societate humana alios non læsisse aut contempsisse, sed officiorum mutatione constans inter homines ali debet benevolentia. Cum vero hac ætate ita inter se officia distincta sint, ut quilibet *arte* vel *scientia* quadam, prout ipsius natura fert & conditio, commode reliquis inservire queat, animus & corpus tempestive cordatorum doctrina præparari debet, quo honestum aliquod vitæ genus, ad quod quis se aptissimum deprehendit, eligere, in eoque per totum vitæ suæ tempus elaborare potissimum posit.

(c) Cic L. I, Offic. n. 29.

### §. IV.

Deliberatio, quæ circa electionem vitæ generis institui debet, cum publica, privataque salute conjuncta, adeoque omnium difficillim, (d) omnique cura & providentia suscipienda est: Quapropter huic adolescentum etas, cui immaturus inest rationis usus, maximaque consilii imbecillitas, minime sufficit, sed ea demum expectanda, quæ judicio, doctrina & exercitio ita confirmata, ut prudenter quis dijudicare valeat, quid sibi utile, aliisque proficuum sit. Alias persuasionibus, quæ veritatis saltem spe ciem

ciem præ se ferunt, non habita neque fortunæ neque naturæ suæ ratione, ante facile genere cursuque vivendi juvenes implicantur, quam sciunt, quod optimum sit, judicare. Quando deinceps se in deligenda vitæ ratione naturam non esse sequatos sentiunt, ob ineptum animi langorem otio tempus terunt, aut invita, ut ajent, Minerva officium suum mutilum sane & mancum societati exhibent, semperque aliquid peregrinum a vitæ suæ ratione cogitant, & in propria arte perpetuo hospites existunt.

(d) Cic. Lib. I. Off. n. 117. seq.

§. V.

Pueros interea & adolescentes tempus suum otio transligere minus decet, sed Parentes, quorum in eo maxime consistit officium, ut liberi ad societatis humanæ commodum dextre formentur, ad virtutum & morum integritatem eos sedulo asservescere debent. Cum vero virtutis universæ causa & principium sit, ut statim ab incunabulis juventus recte parere & obsequi discat, (c) modica castigatione pervicacia, quæ in puerili admodum prolabitur ætate molliri & domari debet, quo solam obsequii gloriam, quan nihil glorioius juventuti contingere potest, studiose liberi sequantur. Dehinc, quando maturescit aliquo modo judicium, pietatis & religionis preceptis tener statim animus imbuī debet, quo non doctrinæ tantum capita memoria teneant, sed reverenter quoque Deum timere & colere discant. His jungi possunt studia, quæ partim illis, qui eruditis non accenseri cupiunt, utilia, partim vero judicium probe exacuant, & ad studia melius disponunt, sicut literas pingendi ratio & Arithmeticæ. Tandem: an ad studia aut aliam rivedi rationem natos velint applicare, prudenter indicent, & in hac deliberatione tam liberorum nature, quam conditionis propriæ rationem habent. Nescio enim, arrogans quæ dementia, legibus sane cohibenda, Germanos hac tempestate ceperit, ut plerique opifices, nec non rustici aliquique, quibus exigua fortuna concescit opes, filios suos studiis destinent, qui deinde propter facultatum & Patronorum penuriam cruda saepissime studia relinquere, & machinationibus variis victum sibi quærere necesse habent. Opificis deinceps truncis nonnunquam flupidores adhibentur, quos insuper, non ea, qua in liberos haud dubie uterentur dexteritate & studio, opifices erudiant. Quo factum est,

ut eruditos, semi coctos artificesque indoctos *Germania* quotidie producat. Si vero & liberorum ingenium, & facultates proprias aut *Patronorum* benignitatem studiis sufficere parentes intelligent, prima eorum cura esto, ut *pīns, eruditus, cordatusque Preceptor* doctrinæ & moderationi puerorum præficiatur. Erectisque nunc superiorum munificentia *scholis* in civitatibus, ibidem commode filii erudiri possunt; sapissime tamen privato cuidam *Præceptori* eorum committi solet institutio, cuius mores, ingenium indolesque, tam naturæ quam doctrinæ probe prius dijudicari debet, ne *Heraclidi* similem, (f) sed talem, quem per totum vitæ tempus ad intuendum imitandumque sibi proponere possint, pueri nanciscantur. Si enim prudenti quadam obstetricie nobis, dum nascimur, opus est, quanto magis ad serviendum Deo & Reipublicæ bono præceptore indigemus. (g) Adultam deinceps ætatem nasci adolescentes, qui in humanitatis studiis se ita gesserunt, ut cum fructu ad altiora transire queant, parentes quidem, quem vitæ cursum imprimis filii sequantur, præcipere possunt, modo omne consilium ad liberorum naturam prudenti consultatione revocent.

(e) *Edmund. Richer, Obſetr. Anim. p. 71. seq.* (f) *Cic. Orat. pro Flacco, n. 46.* hunc ita describit: *Habebat Rhetor iſte adolescentes quosdam locupletes, quos dimidio redderet stultiores, quam accepérat, ubi nihil poterant dicere, niſi ignorantiam literarum.*

(g) *Richer. cit. loc. p. 60.*

## §. VI.

Ex his apparet, non omnem parentibus in hoc articulo denegari potestatem, sed *imperium paternum*, ex generatione illis competens, salvi utique debet consistere, & liberi, qui, ratione judicij, ætatis & originis, inæqualis a Parentibus sunt conditionis, istud in omnibus, quæ ad *familie & societatis universæ commodum* tendunt, subire tenentur.

(h) Et si ex mente Richerii (i) in eligendo vitæ genere non tam privato juvenum, quam virorum prudentum judicio confidendum est, multo magis parentibus, qui sincere liberorum salutem procurare præsumuntur, in eo obtemperandum esse credimus. Ac ea propter isti, nunquam inobedientiæ maculam abstergere possunt, qui spredo parentum salutari placito, spredo fideli prudentum consilio, impetu quodam temerario vitæ cuidam instituto, se irretiunt, quod ipsis & animi

&

& corporis & fortunæ facultates disvadent. Parentum tamen nonnulli in eo peccant, quod *persuasionibus*, quibus repugnare morigeri filii nefas ducunt, ad aliquam vivendi rationem natos applicent, ad quam nullam naturæ inclinationem sentiunt. Nonnulli etiam potestatis sue limites adeo excedunt, ut liberos ab eo vitaे instituto, ad quod voluntatis sue propensione ducuntur, sub vario minarum genere abstractant, & ad alind, quod ipsis modo beneplacet, plagiis interdum & verberibus impellant. *Paterna enim potestas* eo saltim collimat, ut actiones liberorum ad familiae & universitatis salutem, non vero ad suæ voluntatis cupiditatem temperet, & filios, si a legis norma deflectere velint, disciplina quadam ad frugem iterum reducant; In iis vero, quæ in particularem natorum vergunt utilitatem, libertas aliqua & illis, si imprimit maturioris jam sint judicii, relinqui debent.

(b) *Illustris Dnis Titius. Observ. ad Pufend. de Off. Hom. & Civ. I. II. cap. 3. §. 2.* (i) *Richer. cit. loc. p. 34.*

### §. VII.

Si vero quis vel repugnante natura, vel ex imbecillitate consilii, vitaे cuidam generi implicetur, (k) & successu temporis, de immutatione illius cogitet. Quæstio sapissime agitur: *An quis ex justa & gravi causa ab instituto recedere, & alind, quod voluntatis sue propensio ipsi præmonstrat, amplecti possit?* Ex nonnullorum (l) sententia ille, qui a Parentibus Ecclesiastico destinatus est *Ministerio*, quique opportuna jam dedit specimina salva conscientia sine Dei offensione, citra contemptum Parentum, studium Theologicum cum alio mutare non potest, quod si veritati consentaneum, dereliquis quoque statibus, præ quibus nullam quoad hanc rationem prærogativam habet Theologia pronunciari debet. Deinde dicunt animum vagum & inconstantem vitiis affectibus, voluptati, avaritiae & ambitioni deditum indicare hanc in vitaе genere inconstantiam. Tandem pericolosum esse a cursu studiorum, quo diutius jam contendimus, recedere, & novum a priori penitus diversum instituere. Nos ipsi quidem, non quamvis vitaе generis mutationem probamus, imprimitis, quæ ex cœco mentis impetu, aut causa morum integratæ contraria suscipitur; attamen & iis subscribere dubitamus, qui eam penitus tanquam injustam, turpem, periculosa[m]que rejiciunt. *Dens enim jure suo permisit, ut vitaе generibus,*

bus, quibuscumque ipsi velimus, ad societatis utilitatem utamur. Deinde rationis lumine, non parentes modo, sed liberos etiam nobilitavit, quo & ipsi suam scrutari indolem, & exinde cognoscere possint, ad quod ipsos natura reddiderit idoneos. Si ergo liberi per desidiam velint societatem deserere, præcepto divino autoritatique Parentum repugnarent, dum vero errorem, a Parentibus, in destinatio-  
ne ad in congruum vitæ genus, commissum, ea propter emendare stu-  
dent, quo naturæ dona altius & commodius in communitatis utilita-  
tem explicare queant, neque Deum sic offendit, neque parentes con-  
temni posse existimamus. Deus enim nullibi injunxit, Parentum er-  
roribus, ut starent filii, & Parentes, qui hoc exigunt, difficiles val-  
de in liberos existunt. (m) *Inconstantia* | vero illum nemo ac-  
cusatire potest, qui, si quid a ratione alienum se aggressum esse  
sentiat, istud, dum ad huc ipsi licet, relinquit. Homo enim ornatus  
auræ divinæ particula, nihil unquam temere, nihil imprudenter fuscipere,  
aut, si quid ex errore suscepit, consilium prudenter mutare de-  
bet, ne irrationale quid a rationali pronuncietur creatura. Cicero (n)  
occasione hujus quæstionis svadet, *ut si quis in diligendo vita genere se er-  
rassæ intellexerit, morum institutionumque mutationem, eamque pro ratione  
temporum facilius & commodius, vel sensim & pededentim faciat.* Hanc  
equidem, sicut quamvis mutationem esse difficultem non disfitemur, sed  
ea propter, isthac opportuno tempore, dum ætas & fortunæ facultates  
eandem permittrunt, instituenda, & postmodum constanter laboran-  
dum omniq[ue] studio curandum est, ut id bono fecisse consilio videa-  
mur.

(k) *Cic. Lib. I. Offic. n. 117. seq.* (l) *Dnus D. Joh. Frid. Mayer. in  
Diff. Utrum studiosus Theol. salva conscientia Theologia studium de-  
serere, & Jurisprudentia, aut Medicina se consecrare possit? Wit-  
tebergæ habita. p. 32.* (m) *id. Mayerus cit. loc. p. 56. scribit: Re-  
disime ergo a studio Theologie recesserunt, quotquot non sine nu-  
mine divini nutus instinctum scrutati sunt altius; & circa studia sua,  
luctam vocationis interne, cum pietate erga parentes admisere, ut  
pietas divinæ voluntati mox cederet.* (n) *Lib. I. Offic. n. 120.*

S. VIII.

*Quando vero quis licet rarius id contingere soleat (o) eruditio-*  
*ne*

ne & doctrina ornatus, spatiū deliberandi aliquod habet, quem sequi potissimum vitæ cursum velit, *justitia, honestatis & utilitatis publicæ* imprimis rationem habere, suamque vivendi conditionem in virtute collocare debet. *Prohibitam ergo non discat profiteri artem*, sed in hoc quoque negotio voluntatem suam juxta legis tenorem componat; nec talem sibi deligat, quæ bonam famam apud graves & honestos vires immittit, sicut funambulorum peritia. Tandem tollitus sit, quo in constituenda vitæ ratione & *Philantia & socialitatis amor* in æquilibrio consistant, ejusmodique amplectetur institutum, in quo quid studii & utilitatis in societatem humanam conferre queat, &, ut exemplo hoc declaremus, *contemplationi non perpetuo operam det* (p) Hoc præ-supposito, illius status in quo existere quis cupit, *naturam probe nosse* debet, quo sciat, quid molestia & emolumenti, quid laboris & voluti-tatis in eo occurrat. Hanc ob causam eruditus in eo, quem sequi intendit, statu saepius conveniendi & interrogandi sunt, num animus, num corpus maxime exerceatur? qui labor, quod tempus, qui sumptus requirantur? qui optimi in hac re magistri? quæ cautelæ observandæ in doctrina, & si quis edocetus seipsum velit exhibere?

(o) Cic. L. I. Off. n. 119. (p) Franc. Baco de Verulamio Op. p. 175. hanc speciosam inertiam dicit.

### §. IX.

Postea corporis dispositio consideranda venit, num validum illud aut infirmum, ec enim non aliter ac instrumento ad opus quoddam perficiendum utitur spiritus, & quadam vivendi genera commode in societatis commodum exerceri nequeunt, nisi sanis robustisque corporis susturis mens sustineatur. Sic militiam, qui sequi meditatur, integra esse sanitatem, & fabri opificio, qui se applicare cupit, magno gaudere debet corporis robore, alias exiguae pene consumit vires, nihil boni in communitatis fructum præstat, sibique ipsi violentas infert manus. Quo ipso tamen istud non in dubium vocamus, licere nonnunquam eligere probabilem vitæ brevioris occasionem, quo quis talenti sui usum a' iis eo largius dispenset. (q) Sæpe enim multorum vita servari nequit, nisi pro iis aliis dubio sele vitæ periculo exponant. Sed eos tantum in legem naturalem peccare censemus, qui ex debili corporis sui struatura colligere possunt, se vitæ instituto, quod nulla jubente necessi-

D

cessi.

necessitate sequuntur, vitæ sibi terminum ultro accelerare. In tanta enim vivendi rationum copia multæ reperiuntur, quæ modicas saltæ requirunt corporis vires; Sic valetudinem adversam & corporis infirmitatem non leve pondus ad Philosophiam habere, credit Gregorius Nazianenus, (r) quod idem Platonis vîsum esse Marsilius Ficinus (t) comprobat, quodque Academiam in insalubri Attica loco Athenis constituerit, ut nimis bonus corporis habitus, qui speciosissimus robustissimusque a natura ipsi elargitus erat, ceu vitis nimia luxuries amputaretur.

(q) Pufendorff. de Jur. Nat. & G. Lib. II. Cap. 4. §. 17. (r) Epist. 63. Eudox. Rhet. (s) in vita Platonis.

## §. X.

Capacitatem ingenii sui quisque metiatur, & cum non pauciores fere animorum quam corporum existant formæ, (t) ut raro sui similes inveniantur, ex aliorum non magis genio, quam suæ mentis dispositione hic judicandum esse censemus. In seipsum ergo descendere, sui ingenii vires rimari quam primum unusquisque discat, & studiose animadvertis, memoria num aut alios imitandi promptitudine valeat? An tardioris quidem judicii, laboris tamen patientis sit? Num vagum & mobile ipsi natura concesserit ingenium? An judicij acumine rerum penetrare naturam, aut ingenii bonitatem facile novi quid excogitare, ornateque de eo differere sciat? An adeo hebetioris sit intellectus, ut quid nec memoria tenebre, nec meditatione assequi, nec eloqui sermone, nec labore & industria quid in scientiis perficere queat. In hoc vero judicio sibi ipsi sucum nemo offundat, sed acrem se & vitiorum & bonorum suorum judicem præbeat, ne scenici plus quam nos habere videantur prudentiae. (u) quippe qui personas, in theatro repræsentandas, juxta uniuscujusque staturam, æratem & indolem distribuunt. Animi deinde dotes cum cursu vitæ præmeditato curatius conferat, & contra naturæ benignitatem nihil unquam moliatur. Ex quo apparet, graviter eos hallucinati, qui Medicina aut Philosophia se dare decernunt, & memoria quidem, non vero judicio pollent aut Poëtas vel oratores se jactant, nullaque ingenii alacritate, dicendique facultate, sed judicij magis acumine gaudent, aut scholasticum manus expetunt, laboris vero impatientes ingeniique vagabundi sunt. Qui si animum ad Historia aut Linguarum notitiam, ad meditationes cum labore conjunctas, ad Eloquenti-

am



am & rerum excogitationem appellerent, aliquid forsitan ingenio suo congruum invenirent. Illi vero ab Aristotele (*w*) *natura servi dicti*, qui nulla bonitate intellectus donati sunt, a studiorum disciplinarum que ratione penitus abstinere, & aliam professionem sine vi ingenii expediendam amplecti deberent. Licet enim doctrina interdum & labore naturae possit emendari malignitas, & e. g. volubili & vario ingenio *Mathesis* remedium praebat, quia mens paulo evagans, de novo demonstrationem inchoare, & propterea ne perpetuo uno eodemque distingatur labore, praesenti semper animo esse debet. (*x*) Eos tamen, quibus omnem naturam denegavit intellectus bonitatem, si studiis se dicant, adeo ineptos esse censimus, at agricolas, fundos ementes, cum quibus semperne colluctantur, & fructus nunquam aut raro tantum percipiunt.

(*t*) Richer. *Obstetr. Anim.* p. 85. (*u*) Cic. *Lib. I. Off.* n. 113. (*w*) *Lib. I. Polit. Cap. 5.* (*x*) Franc. *Baco de Vernam.* Op. p. 183.

## S. XI.

Eminentiores quoque voluntatis sue ad hoc vel illud propensionem quivis animadvertis, tamque sibi deligit vivendi rationem, ad quam naturali maxime fertur propensione; Hac enim & aptitudine *vocatio interna* non ad sacra tantum studia, sicut *Mayero* (*y*) placet, sed ad quaevis absolvitur munera. Harum vero inclinationum tanta est diversitas, ut iterum non alias imitari, sed suae potius naturae rationem habere quis necessum habeat. Ex hac interim *varietate* rite temperata mirabilis ordo resultat, quam omnimoda similitudo nunquam producere apta fuisset. Cum enim diversa diversis sint exhibenda, ac diverso nos modo erga diversos gerere debeamus, summa oriatura foret confusio, si omnium inclinationes examissim sibi essent similes. (*z*) Deus ergo, qui nihil magis praeter ordinem in creaturis intendit, in utero statim singulos non ad unum quodque, sed ad aliquod tantum munus cuique, dum vivit, exequendum disponit, quod si omnes studiose indagentur, & juxta Dei providentiam vitae sue modum instituant, ordine omnia in mundo procederent. Homini enim ad Philavtiam & socialitatem adaptato haud dubie ratio, quam in sui & communitatis conservatione potissimum retinere debet, a Deo monstrata est, hoc *Theophrasti Paracelsi* (*a*) comprobata sententia; *Nemo*, inquit,

*ex omnibus ita nudus nascitur, qui non dotem ac thesaurum a Deo quendam secum afferat, quem minime defodere debet.* Verum, ne defodiatur, unius cuiusque mentis inclinatio probe exploranda. Quoniam tamen pravis ita fascinati sumus affectibus, ut veram mentis inclinationem difficulter enodare queamus, nostri ipsius cognitionem nulla occasione intermittamus, semperque probe dispiciamus, num forte propensio ex ambitione, avaritia aut voluptate descendat, aut a Parentum, quos imitari cupimus, aut eorum, quos maxime adamamus, aut multitudinis instituto oriatur. Omnis enim ratio, cur hunc vel illum sequi velimus vitæ cursum, eo tandem redire debet, ut, quia in istum occulta naturæ vi ducimur, potissimum in utilitatem patriæ in eo elaborare desideremus.

(y) In all. Disp. p. 53. (z) Pufend, de J. N. & G. L. II. Cap. I. §. 7.

(a) Vol. II. p. 428.

### § XII.

In opum & divitiarum suarum vires etiam inquirat, qui vitæ genus sibi eligere cupit. An illæ sumtus in vitæ conditionem, quam meditatur, necessario erogandos, luppeditare possint; si vero his eas minime sufficere intelligat, nec Patronos habeat obvios, qui munificencia sua vitam ipsius, contra egestatem tueri, pollicentur, satius ornatio est, ut mentem simul & consilium mutet, seque vivendi instituto quo minores exigat sumtus devoveat. Ad vitam enim bene constituantam maximum quidam natura facit, fortuna tamen proximum, & utriusque in diligendo vitæ genere ratio habenda est. (b) Nam si quis rerum penuria impeditus studiorum cursum prius, quam ipsum recte instituit, abrumpere cogitur, eruditis hic accenserí minime meretur, & infra eorum sortem communitati aliquod officium præstare illum pudet. Facilius vero & sibi & civili societati consuluisse, si ab initio statim ad aliquod institutum, cui patrimonium sufficeret, animum applicaverit. Imprimis cum nullum adeo exile detur ministerium, quod in hac vitæ communione non valde desideretur. (c) Optandum quidem esset, ut ingenio, quibus facultates fortunæ deficiunt, nativa vero quadam alacritate prædicta, ac a Deo quasi immediate ad res inveniendas & persicendas procreata videntur, publica pecunia ad usum Patriæ erudirentur. Sed cum hac rerum tempestate hoc nondum sperare liceat, & stipendiis,

diis, quæ hinc inde distribui solent, ceterisq; beneficiis indigentes, non adeo sublevari queant, ut omnes sumtus studiis impendendi ipsis suppetant, salutare omnino esset, ut hi etiam opificium vel aliam quandam artem profiteri discant, quam ut eruditionis opinione civitatem decipient.

(b) Cic. l. I. Offic. n. 120. (c) Richer. cit. loc. pag. 43. seqq.

§. XIII.

Hæc eligens vitæ genus, antequam se ad aliquod eorum determinat, sepe, solide simul & conjunctim animo agitare debet. Nam consultatione hac magna felicitatis humanæ pars nititur, quæ perfunctorie & saltu quasi uno non expedienda, sed rationes decidendi & dubitandi saepius ponderare, aliorumque sententiam solide examinare debet, qui in hac re maximi momenti boni quid & salutaris constituere confidit. Isti ergo, qvod ex imperu nonnunquam menti observatur, minime statim applaudamus, ne nos ipsos decipiamus, & temeritatis, credulitatisque notam incurramus. Causæ etiam movendi non speciosæ vulgi saltem oculos capientes fingi, sed ex natura, & rei & nostri ipsius depromi, omnique folertia trutinari debent. Tandem, quid de aptitudine & inclinatione naturali, nec non de externis emergendi mediis diximus, simul & conjunctim considerari oportet, & si eorum unum deficere quis intelligat, ille, licet reliqua proposito ipsius blandiri videantur, se præstituto vitæ generi prudenter devovere non potest. Aliquis enim e. g. integra corporis sanitate gaudens, inter eruditos potius, quam inferioris fortis homines versari desiderat, ex stirpe etiam non infima natus, tantas a parentibus acquisivit opes, ut iis Præceptores alere, Professoribus mercedem solvere, peregrinari, nec non Doctoris gradum Joachimicis etiam redimere, lauteque ubivis vitam agere queat, præterea Patronos familiæ suæ beneficio nactus est, quorum commendatione & nobile officium & ditemi vitæ sociam sperare facile potest. Ingenio vero adeo hebeti ac desidi est, ut neque meditatione quid in studiis assequi, nec istud memoria tenere, neque commode eloqui valeat, & propterea ad omnium sermonem obmutescere, aut eruditorum consortium fugere necesse habeat. Graviter hic peccavit, qvod studia quæ omnem animi alacritatem desiderant, amplexus sit, & pari modo res se habet, si vel naturalis inclinatio, vel externa fortuna nedia, ad hoc vel illud vitæ genus necessaria desiderentur.

§. XIV.

§. XIV.

Peracta hac deliberatione, si & naturalem aptitudinem, & voluntatis propensionem & fortunæ facultates, Patronorumque favorem desiderio nostro favere deprehendamus, absque ulla mentis cogitatione beneplacitum sequi debemus, certo persuasi, nos ad eam vivendi conditionem, quam & naturalis amor & fortunæ benignitas nobis præmonstret, divina providentia natos esse. Postmodum vero, omni studio assiduoq; labore contendendum, & animus ad laudabilem quendam artem vel scientiam ita applicandus, ut ex perenni consuetudine intima quasi nobis cum ea necessitudo intercedere videatur. Licet ergo primis illarum rudimentis summam quis inesse sentiat asperitatem, solerti tamen industria in illa progrediatur, & incredibili certe perfundetur voluptate, ut nullam nisi morte ipsa studendi sinem facere desideret. (d) Inconstanter etiam huie vel illi vitæ instituto nemo oberrare debet. Lapis enim motu continuo pereitus nunquam museum, nec vagus & mobilis atimus ad has vel illas artes cœbro comeans sapientiam acquirit, sed magnam inconstantia notam in omni suo imprimit. (e) Ad fortunæ vero varietatem si mentis quoque accedat inconstans, in quantis prohdolor vivitur tenebris! (f) quapropter constantia gloriam quam nihil homines in omni re gerenda, consilioq; capiendo magis decet, in eligendo vitæ genere diligentissime quoque conservare nitamur.

[d] Richer. cit. p. 37. [e] Idibid. p. 34. (f) Franc. Baco de Verulam. Oper. p. 174.


§. XV.

Hæc sunt quales quales nostræ de eligendo vitæ genere meditations, in quibus nos quædam omisimus, quædam leviter tractasse, non difitemur. Verum, cum practica Themata non tantum locupletia sint, sed etiam variata quadam circumstantia ipsa simul alterentur, ut in ejusmodi tractatione omnia non exhaustiri queant, speramus, nobis, cum brevitate Benevolo Lectori nos commendare conati simus, quid in eo condonandum esse. Ab erroribus nos non immunes esse libere fatemur, sed propterea Eruditorum examini hanc dissertationem submisimus, quo tam in publico congressu, quam privatis etiam colloquiis in meliorrem viam, ea taraen, qua decet eruditos, mode: stia, reducamur.

S. D. G.

nc

X2502136



Q.K. 352, 20.

II f  
1050

DEO PROSPERANTE,  
INCLITO SENATU PHILOSOPHICO  
PERMITTENTE,  
IN ALMA PHILYREA

D E

# ELIGENDO VITÆ GENERE,

D. IV. OCT. M. D C C X.

H. L. Q. C.

DISPUTABUNT

M. CHRISTIAN. JAC. Thryllisch/  
&  
AUGUSTUS Thryllisch/ SS. Theol. Stud.  
Gnansteinio Misnic.

---

